



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XLI. De Artificibus. Arte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

tione quis in collegium Fabricensium recipiebatur l. 4. C. de Fabricens. iisque dignoscendis stigmata brachiis inurebantur l. 3. C. eod. Erant & fabricæ protectores, qui peritus artifices ab imperitis discernebant, arma proba reiectis inutilibus eligebant & in armamentarium reponebant. Perez. C. de Fabricens. num. 6. seqq.

III.

Armorum appellatione veniunt non solum gladii, hastæ, scuta, sed & fustes, lapides, omneque id quod nocere potest l. 41. ff. de V. S. §. 5. Inst. de publ. judic. etiam culter. Alciat. in de l. 41. Webn. in observ. pract. verb. Messer.

CAP. XL.

De Articulis.

Axioma I.

Quoties quis probare intendit per testes, totiet opus habet articulis. Quia articuli ut plurimum formantur ad testes interrogandos de iis, quæ adversarius negavit.

II.

Articuli debent esse pertinentes seu ex visceribus libelli deprompti, certi, non contrarii, affirmativi. Fihig. process. jur. part. special. cap. 2. §. 6.

CAP. XLI.

De Artificibus. Arte.

Axioma I.

Tales artes in Republ. potissimum fovendæ sunt, quæ ad incrementum Reipubl. serviunt, non quæ ad luxum aut lasciviam. Perez. C. de excusat. artific. num. 11.

II.

Artifices, qui ex statuto loci opificia in publicis officinis exercere debent, non debent occulte & in privatis domibus operari, multo minus illi, qui nondum in numerum sunt recepti, clandestine artem exercere. Perez. C. nulli licere in fran. num. 7.

III.

Ob artificium insigne poena interdum mitigatur. l. ad bestias 31. ff. de pen. Tiraq. Tr. de pen. temper. can. 50. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. q. 60.

IV.

Artifices qui artem suas lucris causâ falsant, ut sunt textores, qui pannos debiles faciunt, pictores aliique, puniri debent. Jo. de Platea in l. baptii. C. de murileg. lib. 12.

V.

Liberi compelli possunt ad amplectendum artificium paternum, quod apud Sinenses practicatur, referente Brunnem. C. de fil. official. col. 1. imò potest aliquis certo casu in penam addici certo artificio, e. g. apparitores pistorem concutientes panificio l. 2. C. de apparit. pref. urb. licet hoc generaliter non procedat l. 19. C. de pan.

VI.

Artifices ingeniosi etiam si liberalem artem

exerceant, à muneribus publicis non sunt immunes. Perez. de excus. mun. n. 2. nisi sint ex receptis collegiis, qui necessariam operam publicis utilitatibus adhibent l. 5. §. 12. ff. de jur. immun. Ratio immunitatis est, quòd discendis & exercendis artibus otium sit accommodandum. Hinc & discipuli & tyrones eadem immunitate gaudent, Perez. C. de excusat. artific. n. 6. quod ultimum tamen limita, (1.) modò discipuli de suo ingenio & doctrina spem Reipubl. præbeant probabilem, (2.) ut discipulis non competet immunitas, quæ Doctoribus concessa est à muneribus realibus; nam personalia duntaxat magistrorum suorum iis attribuantur. Brunnem. C. eod.

De ascendendum successione vid. successio.

CAP. XLII.

De Assessores.

Axioma I.

Assessores debent iudici suo resistere si videant ipsum contra jus agere, aliàs ipsi puniendi sunt. l. 33. C. de decur. Brunnem. C. eod. col. 11. in fin. hinc etiam iudicibus locorum invititis tales assessores dandi sunt, quos ipsi reverentur: nam malus prælatus timet subditum bonum. Brunnem. C. de palatim. sacrar. largit. col. 1. in fin.

CAP. XLIII.

De Asylo.

Axioma I.

Ad opera suæ patriæ sublevanda potest quis ex domo privilegiata extrahi l. 39. C. de decur. Vassallus & rusticus alienus etiam ex domo Principis ad pristinam conditionem revocari potest, auctoritate tamen judiciali. Brunnem. ad l. fin. C. de metallar.

II.

Palatia & statuae principum asylorum jure gaudent, ut & Cardinalium & Episcoporum in terris Ecclesiæ. Hinc nemo ibi violari, extrahi, vel gladius evaginari potest. Perez. C. de palat. & dom. num. 3.

III.

Asyla facinorosis non præstant impunitatem sed innocentibus securitatem, Numeror. 35. vers. 11. & 12. item vers. 32. Rhet. in Instit. jur. publ. lib. 2. tit. 8. 1. 2. apud Pontificios verò asyla sunt præsidium omnium maleficorum. Rhet. d. l. §. 4.

CAP. XLIV.

De Aucupio.

Quicumque non habet jus venandi, ille nec habet jus aucupandi, quia sub illo hoc continetur. Ergo qui non habet jurisdictionem circumsepandi, die Zaungerichte, ille non habet jus venandi, & consequenter nec jus aucupandi.

Limita: ut tamen in genere liceat cuivis capere aves minores. Conf. Wehner. obs. pract. sub voce Vogelweile.

CAP.